


173



162

mus ad capellam pulchram et ibi similiter adoravimus. Ad fonticum etiam Januensium venimus et valde pretiosam et magnam capellam ibi invenimus, in qua Deum laudavimus. Post illa in domum et fonticum Cathaloniorum, ubi nostrum erat hospitium, ingressi etiam capellam visitavimus, et finem processioni illi fecimus et ad prandium sumendum accessimus. Finito prandio transivimus ad littus maris extra urbem, et sub porta visitati fuimus, an aliquid exportaremus, nobis autem in littore stantibus applicuit una navis cum armatis Mamaluccis, quos miserat praefectus urbis ad invadendam quandam navem, quam speculatores a longe viderant in mari, sed dum navi venienti appropinquassent miserunt Christiani illi contra eos bombardas et in portum fugaverunt, unde quidam Christianus ad nos accessit, interrogans, an sciremus, quare illi armati Sarraceni ita tristes de mari in terram descenderint. Cui cum diceremus, non, dixit nobis casum praedictum. Post modicum spatium intravit portum illa navis, de qua Sarraceni fugati fuerunt. Post hanc navem venerunt aliae duae naves, una Venetorum, alia Januensium, sed navis Venetiana spoliaverat et cuperat Januensem nomine guerrarum inter Venetos et ducem Ferrariensem, cui Januenses favebant contra Venetos, nam in mari nemo securus est ab alio; quaecumque navis aliam potest spoliare, invadit eam. Vnde Sarraceni Alexandrini evagantes semper habent naves ad insidias Christianorum, nec sunt ab eis securi, nisi dum in portum civitatis venerunt, omni die audiuntur nova juxta mare de proeliis maritimis et de spoliationibus navium.

(B) Vicesima nona Octobris in nocte incepit gravitas dyssenteria vexari dominus Joannes comes de Solms, qua et dissolutus fuit, ut patebit. Missa autem audita et prandio sumto deliberavimus circuire omnes fonticos mercatorum, institutorum vel negotiatorum mundi domos et videre ibi negotiationes. Est autem fonticus domus, de qua merces profluunt in alias regiones, sicut aqua ex fonte. De his fonticis multi sunt in Alexandria, sicut aliquando in aliqua terrae petia multi simul fontes erumpunt; quilibet autem fonticus habet patronum de illa regione, ad quam diriguntur merces ex eo, et ille patronus dicitur consul, et illi consules fonticorum sunt potentes, ad eosque spectat consulere, et taxas rerum mitigare et suo fontico providere, et pacem tueri et

171

177

167

182

162

222

122

272

072

Ende

Anfang